

dines BP. BR. æquales sunt iuncta, altitudinibus iunctis AP. AR. Et BEK. BIL. iuncta area sunt æquales iunctis AEK AIL; quia super basibus EK. IL. seu earum contingentibus in E. I. triangula BEK. AEK. item BIL. AIL. habent easdem altitudines BE. BI. & bases easdem, illa EK. hæc IL. Igitur hæc area EAK. IAL. tribuuntur longis arcibus KE. LI. iisque æquales area APC. ARG. tribuuntur brevioribus arcibus PC. RG. iunctis: cum tamen illorum distantia à Sole EA. AI. iuncta, sint æquales iunctis horum PA. AR. ut prius est demonstratum.

Si inequalibus æqualiter à Sole distantibus assignantur æquales area: tempora vero seu mora inequalium, æqualiter à Sole distantium etiam inequalia esse debent, per axioma superius usurpatum: quomodo igitur area æquales metientur moras inequales?

Etsi hoc pacto bigæ arcuum sunt inter se reverâ inequales, æquipollent tamen æqualibus in participando tempore periodico.

Dictum quidem est in superioribus, diuisâ orbitâ in particulas minutissimas æquales: accrescere iis moras planetæ per eas, in proportione interuallorum inter eas & Solem. Id verò intelligendum est non de omnimoda portionum æqualitate, sed de iis potissimum, quæ rectâ obiiciuntur soli, ut de PC. RG. vbi recti sunt anguli APC. ARG. in cæteris verò obliquè obiectis intelligendum est hoc de eo solùm, quod de qualibet illarum portionum competit motui circa Solem. Nam quia orbita planetæ est eccentrica, miscentur igitur ad eam efformandam duo motûs elementa, ut hæcenus fuit demonstratum, alterum est circumlationis circa Solem virtute Solis, vna reliquum librationis versus Solem virtute Solis aliâ distincta à priori. Ut in IL. termini I. & L. inæquales habent distantias ab A. fonte motus, continuata igitur AL. in Q. ut AQ. sit quantitate media inter AL. & AI. & centro A. interual-